



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

habenda, & Viduis de copula habita tempore matrimonii prohibetur; peccant etiam mortaliter Parentes, vel Tutores, & Custodes Sponsæ, qui eam solam relinquunt cum Sponso propter periculum, ut inter se ad turpia procedant, nisi ignorantia, vel inadvertentia eos excusent.

P E C C A T U M.

494. **Q**Uæritur. An in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & ad demeritum contrahendum sufficiat libertas in causa sua, seu in peccato originali, & libertate Adami peccantis?

Resp. Status naturæ lapsæ, seu corruptæ is dicitur, in quo iustitia originali exuti, & peccato contaminati nascimur, in isto nulla est necessitas in homine ad peccandum transmissa in eum ab Adamo liberè peccante, ut aliqui docuerunt, sed eorum opinio est jam expressè, damnata ab Alexandro VIII. *cum propof. 1. in secundo Decreto*: Ratio est, quia Adæ peccato nostra libertas nec amissa, nec extincta fuit, sed in nostra potestate est tentationi consentire, vel eidem resistere, & præcepta implere, divina auxiliante gratia: legas Trident. *Sess. 6. Can. 5. & 6. & Constit. quæ incipit: Ex omnibus S. Pii V. in qua reprobandur plures propositiones Michaelis Baii, & inter eas 39. & 64. ac aliam Const. Innoc. X. editam contra 5. propositiones Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, in qua ut hæretica damnata manet hæc quarta propositio, quæ habet: Ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

495. Quæritur. An peccatum philosophicum ut etiam Theologicum, hoc est, offensa Dei dissolvens ejus amicitiam, & pœna æterna dignum?

Resp. Alexander VIII. antequam quicquam decerneret de una, & triginta propositionibus, quas 7. Decembris 1690. damnavit, aliam quæ habet: *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divina legis: philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum: sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum;* declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & meritò, quia peccatum de sua ratione adverstatur, & quidem formaliter dictamini rationis, quod propositio ipsa damnata fatetur, implicat autem quod rationis dictamini adverstetur, & non adverstetur simul legi æternæ, cum dictamen rationis sit; velut præco indicens nobis Divinam voluntatem, sive præceptivam, sive prohibivam, sive permissivam, ut docent communissimè; nam lumen rationis nihil aliud est, quàm impressio Divini Luminis in nobis juxta illud *Pf. 4. Signatum est super nos Lumen Vultus tui Domine;* ergo implicat peccatum, quod solùm sit philosophicum, & non etiam Theologicum, & quod Divinam amicitiam non dissolvat, nec sit offensa Dei; etiamsi advertentia ad Divinam prohibitionem non sit explicita, sed tantùm implicita, sicut v. g. ut Sacerdos peccans contra castitatem contrahat malitiam facri-

facri-

facrilegii, non est necesse, quod tunc actu explicitè cogitet de suo voto Castitatis, sed sufficit, quod de illo cogitet saltem sub aliqua cogitatione confusa facile obvia.

496. Quæritur. An pro peccato Originali teneatur Homo tota vita pœnitentiam agere?

Resp. Hanc injuriam Jansenii a seclæ irrogant Divinæ Misericordiæ, meritis, ac satisfactionibus Christi Domini, & efficaciarum Sacramentorum, ut velint, Homines post Baptismum susceptum teneri ad exhibendas Deo satisfactiones, quoad vixerint, præcisè ob originale peccatum; quorum sententia tanquam hæretica expressè damnatur ab Alexandro VIII. cum *prop. 19.* Ratio est evidens, quia sublata quavis peccati macula, & quocumque reatu tam odii Divini, quam pœnæ, quæ ab ingressu Cœli remoretur, nulla superest pœna pro illo luenda, ac satisfactio Deo exhibenda, atqui per Baptismum omnis omnino macula tollitur, & omnis reatus, tam odii divini, quam pœnæ obstruentis aditum ad Patriam Cœlestem; Siquidem per hoc Sacramentum, si fuerint peccata: ut coccinum quasi nix dealbantur, ut dicitur Isa. 1. ergo nulla pro originali post Baptismum pœna est subeunda; Lege Tridentinum *Sess. 5. Can. 5. & Sess. 6. cap. 14.* ubi dicitur: *Satisfactionem per jejunia, elemosynas, & alia pia vitæ spiritualis exercitia post Sacramentum Pœnitentiæ ponenda esse pro pœna temporali, quæ ut Sacra Litera docent, non tota semper. (ut in Baptismo fit) dimittitur.*

497. Quæritur. An quando adultus Baptizatur, de peccatis actualibus, ac de originali dolere?

Resp.

Resp. De actualibus à se commissis dolere debet, sed sat est attritio supernaturalis ad Baptismi Sacramentum suscipiendum; de originali verò nequit esse dolor Contritionis, vel Attritionis, & hoc est extra controversiam; quia originale nec est materia pœnitentiæ, ut est Sacramentum, neque ut est virtus, nam originale non est propria voluntate commissum, ergo non potest propria voluntate retractari.

498. Quæritur. An peccata pollutionis, sodomix, & Bestialitatis sint ejusdem speciei infimæ, & sufficiat quod pœnitens, qui ea commisit, in confessione dicat, se procurasse pollutionem.

Resp. Negativè, juxta Decretum Alexandri VII. damnantis propos. 24. & meritò, quia vitia specie diversificantur, quoties diversa ratione, & malitia eidem virtuti opponuntur, ergo quamvis hæc peccata pollutionis, sodomix, & bestialitatis eidem virtuti Castitatis opponantur, atque adeo sint in eadem specie subalterna, differunt tamen specie infima, ut proinde debeant in sua specie in Confessione explicari, non secus ac furtum, & homicidium, quæ sunt species injustitiæ ob diversum modum, quo virtuti justitiæ commutativæ opponuntur, & injustitiam participant, unde fit, vitia diversificari specie, non solum si diversis virtutibus opponantur, sed etiam si eidem virtuti opponantur diversimodè; hinc ad Cor. 6. de mollitie, & sodomia fit mentio specialis, tanquam de duobus specie differentibus, dicitur enim: *neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores &c. Regnum Dei possidebunt. Sicut etiam Levit. 18. specialiter Deus fo-*
do-

domiam, & bestialitatem execratur dicens: *Cum masculo non commiscearis coitu foemineo, quia abominatio est, cum omni pecore non coibis* &c. quia scelus est.

499. Ex dictis sequitur, 1. probabilius esse in sodomia explicandam in Confessione, tamquam mutantem speciem, circumstantiam agentis, aut patientis. 2. Similiter explicandam esse in sodomia, num ea commissa fuerit cum foemina. 3. num quis eam commiserit cum Consanguineis, vel affinis, & an Uxoratus propria Uxore abusus sit. 4. Num procurata sit pollutio tactibus alienis, vel sodomiticis, aut bestialibus: 5. Explicanda verius videtur in peccato fornicationis circumstantia Sponsi, vel Sponsae de futuro ob injuriam, quae alteri Sponso irrogatur, quamvis ea non sit adulterium, sicut in incestu circumstantia personae in 2. gradu conjunctae in recta linea ob specialem violationem pietatis: 6. explicanda probabilius est circumstantia filiae spiritualis, sicut etiam circumstantia disparitatis cultus ob injuriam, quae Sacramento Baptismi irrogatur, peccando cum infidelibus: 7. Similiter si tactus impudici frant in Ecclesia, & à fortiori si in ea habeatur pollutio occulta.

500. Quæritur. An qui habuit desideria procurandi pollutionem, sodomiam, vel bestialitatem, satisfaciat in Confessione dicendo: se habuisse desideria peccandi contra naturam?

Resp. Negativè; sed debet exprimere objectum sui desiderii, an fuerit sodomia, seu bestialitas, nam desiderium efficax continet eandem malitiam specificam objecti sui, sed objecta sodomiae, pollutionis,

&

& bestialitatis specie distinguuntur: ergo.

P Æ N I T E N T I A.

501. **Q**Uæritur. An pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium possit, qui loco ipsius pœnitentiam impleat?

Resp. Non posse, constat etiam *ex Florent. & Trident. Sess. 14. Cap. 3. Can. 4.* materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse tres illos actus pœnitentis, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, ergo sicut nequit Contritio poni per alium, ita nec potest satisfactio, sive salutaris, sive præservativa alteri demandari, tum quia si in aliis præceptis, puta de audienda Missa, de recitandis horis, de jejunando, non potest alius substitui, à fortiori in hoc præcepto Confessarii; cum enim *ex Trident. cap. 8.* pœnitentia imponatur ad novæ vitæ custodiam, & ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, constat exigi ad executionem hujus præcepti actionem personalem, ut ille ipse, qui peccavit, puniatur; regula enim juris, quod possit quis per alium facere, quod potest per seipsum, tunc solum valet, quando non exigitur ex speciali ratione actio personalis, ut quando pœnitens, cui imposita fuit eleemosyna pro pœnitentia, eam per tertiam personam implet; constat denique ex Decreto Alexandri VII. damnantis propos. 15.

502. **Q**Uæritur. An possit Confessarius pœnitentiam sic imponere pœnitenti, ut per se, vel per alium impleat?

Resp. Negativè, nec is excusaretur à peccato, neque satisfactio ab alio pro pœnitenti-